

gilla [o: sigillis] venerabilium patrum dominorum Archiepiscopi Nidrosiensis et suffraganeorum suorum, ac aliorum nobilium de consilio regni Norvegie, qui nunc presentes non aderant, firmitus debeant roborari. In cuius rei testimonium Sigillum predicti domini Regis Swecie et Norvegie, sigillum nostrum, nec non et sigilla predictorum compromissariorum nostrorum presentibus duximus apponenda. Datum et actum anno, loco et die supradictis.

Öfverskrift: De placitacione super maritaggio inter sororem regis Magni Norvegie et filium comitis Magnipolensis.

2311.

1321 d. 24 Juli.

Bohus.

Herr HENRIK af Meklenburg uppgör genom sin Riddare, Mårten af Huda, äktenskaps-kontrakt mellan sin son Albert och Konung Magni syster, Prinsessan Eufemia, i öfverensstämmelse med föregående dokument.

Orig. på perg. i K. Danska Geh.-Arch. *)

Omnibus presens scriptum cernentibus HENRICUS Dei gracia Magnopolensis ac Stargard Dominus, Salutem in Domino sempiternam. Nouerint vniuersi, quod anno Domini M^o. CCC^o. XX^o. primo feria sexta proxima post diem beate Marie Magdalene apud castrum Baghahuus inter illustrem principem Dominum Magnum Regem Norvegie et Swecie et matrem suam nobilem dominam Ingiburgem Ducissam Relictam domini Ducis Erixi ex vna parte, et inter nos ex altera per Martinum de Huda militem nostrum taliter exstitit placitatum videlicet quod idem Dominus Rex filio nostro Domicello alberto sororem suam Domicellam Eufemiam dare et tradere debeat legitimum in vxorem Tali condicione prehabita quod propter consanguinitatem inter ipsos Domicellam et domicellum contractam nos dispensacionem Domini pape super matrimonio inter ipsos contrahendo debeamus in nostris sumptibus procurare et quod idem dominus Rex cum predicta sorore sua in dotem dabit quinque milia marcharum puri argenti ponderis coloniensis ex parte Regni Norvegie Ita quod consumato matrimonio et nupcijs celebratis inter ipsos ad annum vnum post diem nupciarum numerandum dabit duo milia marcharum puri In sequenti vero anno proximo eciam ipso die mille quingentas marchas puri, et in tercio anno tunc proximo subsequenti similiter eodem die mille quingentas marchas puri ponderis supradicti Et istud argentum in quolibet predicto termino Bagæhuus solui debeat et quitari Ita quod illi qui predictum argentum recipiunt secure cum eodem transire valeant pro omnibus quidquam facere vel omittere volentibus amore eiusdem Domini Regis ac matris sue et

*) I afskrift benåget meddeladt af Herr Prof. N. M. PETERSEN.

tamen in omni euentu sub nostris periculis quibuscumque Item placitatum est quod filius noster Domicellus albertus predictus ad crastinam donacionem propter nupcias castrum Ghodebutz cum ciuitate hominibus terris et alijs omnibus eidem castro adjacentibus dabit et assignabit eidem Domicelle in die crastina nupciarum, Tali condicione mediante quod si idem filius noster ipsa domicella superstite absque liberis decesserit predictum castrum Ghodebutz cum ciuitate terris hominibus et alijs pertinencijs prenominata domicella libere optinebit nisi redire voluerit vel preelegerit maritali Quod alterum si fecerit domicella predicta, nos vel heredes nostri eidem domicelle dabimus, viginti millia marcharum puri argenti ponderis coloniensis, et non plus licet super tali summa duobus Regnis videlicet Norwegie et Swecie dederimus literas duplicatas Qua summa per nos aut nostros heredes soluta castrum predictum cum ciuitate terris hominibus et alijs omnibus suis pertinencijs ad nos et heredes nostros redire debeat possidendum. Si vero ipsam domicellam ibidem commorantem in viduitate mori contingerit [x: -tigerit] predictum castrum Ghodebutz cum ciuitate hominibus terris et alijs omnibus eidem castro adjacentibus heredibus eiusdem domicelle cedere debeat possidendum donec eisdem de predictis viginti milibus marcharum fuerit integraliter satisfactum. Verumptamen si sepepredictam domicellam absque liberis, ipso domicello superuiuente mori contingerit [x: -tigerit] tunc super argento sibi in dotem assignato fieri debeat prout in terra Sclauie dictauerit et probauerit ordo iuris. Item placitatum est quod si dominus noster Rex Dacie predictum dominum Regem Norwegie impugnauerit Tunc nos et domini infra-scripti, videlicet Rudolfus Dux Saxonie et frater suus Dux Wenzeslaus generi nostri, Gherardus et Jehannes (!) comites Holtzacie et Guncellinus comes Zwerinensis, auunculi nostri karissimi, eundem dominum Regem Dacie et regnum suum cum omni nostra potencia ex illa parte curabimus inpugnare, et si dictus dominus Rex Norwegie huiusmodi seruicium habere voluerit debet nobis hoc tempestiue per certum nuncium intimare Et si post huiusmodi intimacionem de tali seruicio uel auxilio propter casus aliquos necesse non habuerit et exercitus noster euocatus et congregatus fuerit ac se ad huiusmodi insinuacionem mouerit, tunc idem dominus Rex Norwegie nobis ad simile seruicium et auxilium ex ista parte contra dominum Regem Dacie tenebitur Requisitus. Ita quod facto a nobis et alijs dominis predictis huiusmodi iuuamine, si dominus Rex Dacie predictus nos et terras nostras hostiliter inuadere attemptauerit, debet idem Dominus Rex Swecie et Norwegie cum omni posse suo et iuuamine de Regno Norwegie ipsum Regem Dacie et Regnum suum ex ista parte similiter inpugnare. Item placitatum est, quod priusquam nos eidem Domino Regi Norwegie premissa seruicia feceramus dictus dominus Rex et Regnum Norwegie nobis obligari antea non debeant

ad aliqua seruicia facienda. Vt autem premissa omnia firmitus obseruentur nos bona fide promisimus, et vna nobiscum principes ac dōmini suprascripti. necnon et fideles nōstri Droijseco de croijgheren, Mathias de Naxekowe, Georgius Hasenkop, Nicolaus olaffsone. Martinus de Huda Ywanus de Reddicstopp, Borchardus de osta, Johannes Rosendal, Eghardus de quidzowe Reijmarus de plesse. Bertoldus preen, Gotscalcus pren, Hinricus de plesse, bolte Hasenkop, Borchardus de Otteshuden, wipertus Lutzowe marscalcus noster, Gotfridus de Bulowe. Johannes de Bulowe, Hinricus de Bluthgheren, Nicolaus de Malin, Johannes de croijgheren, Johannes de plesse et Hinricus de Barnekowe milites, ac Hinricus Bonsak armiger repromiserunt manu coadunata firmiter bona fide. In premissorum eciam testimonium, sigilla nostrum videlicet, et omnium Repromissorū nostrorū suprascriptorū presentibus sunt appensa. Actum, loco anno et die supradictis.

På frānsidan: Deythingen vm at Herre Henric Herre aff Mækelburgh sōn fik konung Magnus syster til husfrue.

Af 30 underhängda sigill saknas blott det 5:te och det 12:te.

2312.

1321 d. 25 Juli.

Avignon.

Påfven JOHANNES XXII underrättar alla Prelater om de villomeningar, hvilka Theologie Doktorn Johannes de Polliaco utspridt, i afseende på bigten, och dem han inför Påfven afsvurit.

Vidim. afskr. på perg. i Kongl. Bibl. *)

JOHANNES Episcopus seruus seruorum dei. venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis electis ad quos presentes littere peruenerint. Salutem et apostolicam benedictionem. Vas electionis doctor eximius et egregius predicator, cuius predicacio mundum docuit vniuersum, presumptuosam illorum audaciam refrenare sollicitus qui prudencie proprie innitentes in errores varios prolabantur, non plus sapere quam oportet set ad sobrietatem sapere, salubri doctrina suggestit, vt iuxta sapientis eloquium quisque sue prvdencie modum ponat. Sane dudum cum dilectum filium magistrum johannem de polliaco sacre theologie doctorem certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram presenciam vocassemus fidedigna relacio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse in quibusdam articulis tangentibus penitencie sacramentum, non sobrie sed perperam sapiebat, infrascriptos articulos, periculosos continentes errores docens publice in suis predicacionibus et in scolis. Primo siquidem astruens, quod confessi fratri-

*) Ur en af Ärkebiskop Esger i Lund vidimerad afskrift, dat. Wiborg d. 5 Jan. 1324.